QVOD DEUS BENE VERTAT!

DE

TRIBUTIS & CENSIBUS,

PRÆSIDE

VIRO

PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO

DN. ERNESTO FRIDERICO

Schrötern/ Hæreditario in Wickerstädt/ JCto, atque Professore Publico celeberrimo, Consiliario Saxonico, Facultatis Juridicæ, Curiæ Provincialis & Scabinatus Assessore gravissimo,

DN. PATRONO ET PRÆCEPTORE SUO HONORATISSIMO,

In nobili ad SALAM UNIVERSITATE

DISPUTATURUS EST

HEINRICUS HENNIGES,

FRANCUS. A.

Ad diem Septembris

ANNO CHRISTI M DC LXVIII.

JENÆ

Typis JOHANNIS NISI.

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS ATQVE CONSULTISSIMIS

DN. GEORGIO Schellen/Hæreditario in Mebenberg & Bernetsweiler/ JCto, Serenissimæ Domus Onoldo-Brandenburgicæ Consiliario Status Intimo, Aulico, & Provinciali Excellentissimo,

DN. LAURENTIO Eyselein/ JCto, Laudatæ Domus Consiliario Status Intimo, Aulico, Feudorumque Præposito gravissimo,

DN. CHRISTOPHORO SINOLDO, Cognomento Schützen/JCto, ejusdem Domus Consiliario Aulico, & Advocato famigeratissimo,

DN. GEORGIO NICOLAO Mohren/ Consiliario ibidem Cameræ meritissimo.

DNN. PATRONIS ET PROMOTORIBUS suis omni honoris cultu religiose suspiciendis

Discursum hunc Academicum in perpetuum gratitudinis atq; observantiæ argumentum obsequiose offert

addictiss. cliens

Heinricus Henniges, A. & R.

Q. D. B. V.

In

DISSERTATIONEM

De

TRIBVTIS ET CENSIBVS.

PROOEMIVM.

EXplicaturus utilisſimum tributorum & cenſuum argumentum, operæ pretium me facturum credo, ſi prius, quam in utriusque rei naturam inquiram, ſimplicium terminorum conditionem tam ab originibus ſuis deducerem, quam ambiguo & captioſo ſignificatu liberarem. Quippe non rarò videbis vehementisſima concertatione eos inter ſe collidi, quibus profectò optimè conveniret, niſi dubia objecti acceptio contentioſam oculis caliginem ſuffunderet, ita, ut verbis magis, quam re diſſentiant. Hinc eſt, quod qui præ cæteris faciliori ad docendum ordine uti volunt, ſic ſuos labores diſpeſcere ſoleant, ut ante omnia æquivocam vocem integritati reſtituant, quo lector firmo veſtigio niti posſit, nec peregrino ſenſu re accepta fruſtra diſſentiat. Quorum inſtitutum ut laudabile, ita & mihi ſequendum eſt, initio, Deo juvante, facto de tributis.

De

TRIBVTIS.

§. I.

SI nativam vocis indolem ex Grammaticorum regulis æstimamus, tributa haud dubiè à tribuendo veniunt, quod certa quantitas pro facultatum portione ærario Principis inferebatur. *l, 27. ff. de V. S.*

§. II. Aliam derivationem habet Varro *l. 4. de Ling. lat. cit. à Calvis. in Lex voc. Tributum.* Qui hanc vocem *à tribubus* deducit, *quod illa pecunia, quæ à populo imperata erat, tributim à singulis pro portione census exigebatur.* Non improbamus concinnam allusionem, quam conferendi modus non parum juvat, dummodo hoc meminerimus, magis rem ipsam quàm incunabula grammatica exprimi. Quemadmodum Imperator Justinianus testamentum *à testatione mentis* dictum esse vult. *pr. I. de Testam.* quod tamen simplicius à testari ducimus. *Dn. Ludw. ad d. pr.*

§. III. Quod æquivocum vocabuli sensum attinet, tributum adeo latè non sumimus, ut omnis generis reditus, qui Reip. variis occasionibus affluunt, includamus. Boxhornius *Inst. Polit. l. 1. c. 10. §. 18. earum rerum tributa maximè probat, quæ peregrinos magis quàm domesticos & cives afficiunt.* At verò propriè tributa exteris non imponuntur, quoniam sunt onera, quæ solvuntur ratione privatæ possessionis, & fundamentum habent in eminenti Principis dominio; quod ad peregrinos non pertinet. Hi enim privata & propria bona in ditione Imperantis non possident, sed ut hospites versantur in aliena Rep. cujus nec pars sunt, nec domicilium stabile habent. Incolas autem peregrinis non comprehendimus, sed arbitramur eos etiam propriè contribuere, quoniam iisdem legibus subjiciuntur, quibus veri Cives obediunt. Qua de re pluribus infra.

§. IV. Interim nimis strictè illi accipiunt, qui non nisi æs militare intelligunt. *Videsis, si places, Calvis. in voce Stipendium.*

§. V.

§. V. Juris Interpretes *ad Rubr. C. de Annon. & Tribut.* inter annonam & tributum differentiam faciunt, quam habet Gothofred. *ad d. Rubr. & ad l. 32. §. 6. ff. de Administr. & peric. tut.* Lex. Calvis. *in voc. tribut.* Hanc nos quoad præsens negotium non attendimus, sed tam frumentum, vinum, oleum, &c. quam alias res ad tributum referimus. Non refragante autoritate *d. Rubr.* quia hæc appellatio procedit secundum quid, & ratione usus. Notissimum est, originaria indole annonam annuam alimoniam indigitare. Non absurdè itaque annona dicebatur suppeditatio alimentorum, quæ Provincialium agrorum domini alendo exercitui singulis annis præbebant; non sublatâ interim (alio modo tamen considerandi) tributorum natura. *Add. Calvis. in voc. Annonæ quoque dicebantur.* Ipse quoque Gothofredus, qui hæc ad *d. Rubr.* distinxerat, communiter tributi voce comprehendit *in not. ad l. 27. §. 3. ff. de Usufr. lit. S.* Et Rubrica satis generalis *in C. de Exact. trib.* manifesto annonam involvit, quia in nigro de ea sæpe agitur. *vid. l. 2. in fin. l. 6. & 7. d. tit. de Exact. Trib.*

§. VI. Alio plane sensu tributum vocatur *in l. 1. pr. ff. de Tribut. Act.* ubi id intelligitur, quod inter creditores servi negotiantis & dominum, cui idem servus debet, tribuitur, h. est, distribuitur pro rata ejus, quod cuique debetur Calvis. *voc. Tribut.*

§. VII. Æquipollens nomen non unum in legibus nostris occurrit. Tributum dicitur. 1. intributio. *in l. 22. §. ult. ff. ad Municip. in l. pen. ff. de Veteran. l. 6. §. 4. ff. de Muner. & honor.* 2. Census. *t. t. & præcipue in l. 2. C. sine Cens. vel reliq. fund. comp. non pos. ibique Gothofr. l. X. et. Calv. voc. Cens.* 3. Indictio. 4. Collecta. Quod vocabulum quomodo nostri interpretes à tributo distinguant, docet *Coll. I. Arg. tit. de Collect. in l. 50. tit. 50.* Qua assertione stante in §. 6. divisio collectæ in ordinariam & extraordinariam contradictionem videtur involvere.

§. IIX. Stipendium tributum significare dicit *l. 27. ff. de V. S.* concedi potest, quoniam & alii probati Scriptores vocem *stipendii* tam latè accipiunt. *Liv. l. 2. c. 9. ibi. Pauperes satis stipendii pendere.* Quæ verba de ære militibus dando intelligi nequeunt, quia illo tempore non publica pecunia, sed privatis sumptibus

præstat. Aliàs stipendium æs militare notat; ut Cerealis apud Tacitum loquitur, *stipendia sine tributis haberi nequeunt. 4. Hist. 74, 2.* Quando milites dicuntur vicena, sena, tricena &c. stipendia meriti, tunc annos militiæ indigitant Historici. *Add. Coll. I. Arg. l. 50. t. 15. de Collect. §. 1. & Cujac. obs. l. 7. c. 3.*

§. IX. His itaque præmissis ad definitionem veniendum est, ex qua natura rei magis nobis familiaris fiet. *Tributum est pensio, quam subditus ratione vel sua persona vel privata possessionis nomine solvit Majestati.* Tributum esse pensionem, quam generis loco posuimus, vel ipsa vox indicat. Pendere enim nihil aliud quam solvere significat. *l. 1. ff. si Ager. Vect.* Solvit autem subditus, quod Resp. ab eo exigit. Et pensio Varroni est solutio. Primo quidem de pecunia tantum dicebatur, & nomen traxit ab ære impendendo, quoniam satis constat, nummi valorem initio fuisse definitum solo pondere; postea verò & ad alias res extensa est, ut generaliter pensio sit, id, quod pro alicujus rei usu datur, veluti agri vel domus. *Calv. voc. Pensio.* Præterea non inepta ad locationem allusio hoc nostrum genus juvare videtur. Quemadmodum enim pensio in illo contractu propriè est merces inhabitationis ædium alienarum. *l. 19. §. 6. ff. Locat.* vel fundi. *l. 54. §. 1. ff. eod.* prædiorum urbanorum. *l. 27. §. 1. ff. de Hared. petit.* aut aliarum rerum. Sic Princeps, qui in subditos imperium, in omnia bona, quæ in suo sunt territorio eminens dominium habet, usum illorum videtur subditis hîc quoddammodo sub lege locare, ut certo tributo & pensione quotannis præstandâ non modò ipsum dominum agnoscere, sed & in necessarias impensas & sumptus, quos quævis Civitas omni die facere tenetur, contribuere velint. Ad hæc pensionis indoles latius patet, & locationi quoque, ut diximus, it. vectigalibus, (*vid. tot. tit. C. si propt. Publ. Pens.*) & aliis exactionibus. (*vid. Bodin. 6. de Rep. pag. mih. 1012. nos dicemus infra*) applicari potest, ideoque eandem objecto tam rerum quam personarum in ordinem cogimus: de utrisque plenius post agendum est. Ultimo loco notamus, possessionem in definitione positam non nudam rei detentionem, sed proprietatem sive dominium privatum

ptio aliena est â nostro jure. Possessio enim ipsum dominium significat *in l. 17. ff. de S. R. P. & l. 78. ff. de V. S. vid. Habn, ad Parat. Wesenb. Tit. de A. vel A. P. verb. possessionis.*

§. X. Divisiones DD. multas colligunt, præcipuas nos examinabimus. Est ergò tributum. 1. *vel capitis vel rerum. l. 32. §. ult. ff. de usu & usufr. l. 3. l. ult. §. 7. de Cens.* Illud capitatio dicitur. *Rubr. C. de Capitat. Civ. Cens. exim. & l. 1. C. ne Rustic.* Estque *quod paterfamilias pro singulis capitibus, etiam si nihil in bonis habeat,* (Scilicet in iis bonis, quibus regulariter tributum imponi solet.) *Fisco dependere cogitur. Bodin.* Nobis enim hic sermo est de capitatione personali, quæ personæ, non bonis imponebatur: illam, quæ dicitur animalium, sub rebus comprehendimus. Huc commodè refertur collecta mixta *ap. Coll. J. Arg. qua generaliter indicitur omnibus pauperibus & divitibus.* Manns- und Weibs-Personen. Vater und Mutter/ auch Kindern/ Knechten und Mägdten. *l. 50 tit. 15. de Collect.* Neque etiam in totum hanc collectam æquitate destitutam censeo, quia interdum bonum publicum ordinarias intributiones ob negotii celeritatem aut temporum necessitatem respuit.

§. XI. Tributa quæ rebus imponuntur, indictiones dici solent. *l. 3. C. de Ann. & Trib. Coll. J. Arg. l. 50. t. 15. 8. 7.* Exigi autem possunt tam de rebus mobilibus, quam soli, tam inanimatis, quam animatis. Huc pertinet capitatio annonaria possessoribus agrorum pro jugerum & capitum, quibus coluntur & arantur, numero indicta *l. 9. C. de Act. Empt.* quæ græcis dicitur *ζυγοκέφαλον. Novell. 17. c. 8.* Appellationis ratio ea esse potest, *quia jumenta capita dicuntur, quorum jugo uno quantum arari terra poterat; id sub jugationis appellatione in descriptionem veniebat, tributariaq; functioni subjiciebatur. Calvis. in voc. Capitatio.*

§. XII. Tributum. 2. dividitur *in ordinarium & extraordinarium.* Illud quod certa lege & juris dispositione definitum est, ut quotannis subditus calculum ponere possit, quantum intribuendum habeat. Hoc vero ex variis accidentibus & casibus improvisis super inducitur. *l. 10. C. de Muner. Patrim.*

§. XIII. Tributa 3. sunt vel *definita vel indefinita.* Definita: *Quando certum rei pretium indicitur cujus nomine exigitur: qualia pleraq; esse consueverunt.* Indefinita, *quæ quidem autoritate publica certò tamen modo aut pretio non præscripto à privatis exiguntur. Boxbor. in Instit. Polit. l. 1. c. 10.* Circa hæc posteriora notari debet, populum, cui privata semper stimulatio & vile decus publicum, peculiari arte fallendum esse, ut huic contributioni consentiat. Præcipuè verò ad rem faciet, si nullus omninò, cujuscunque conditionis & dignitatis sit, immunitatem habeat. Respicit enim plebs plerumque ad illa capita, & non tam imperio quandoque quàm exemplo opus est. Nullus secum iniquè agi existimabit, si pari fortunæ omnes subjiciantur. Et ut ait *Seneca Troad. act. 4. Chor.*

> *Ferre, quam sortem patiuntur omnes,*
> *nemo recusat.*
> *Est miser nemo nisi comparatus,*
> *Dulce in immensis posito ruinis*
> *Neminem lætas habuisse vultus.*

Hâc astutia benè utebantur Romani Patres *apud Liv. l. 4. circa fin. & l. 26. c. 36.*

§. XIV. Efficiens causa, ad quam indictio tributorum spectat, est τὸ κύριον Civitatis. Nec hâc in re diu morabimur. Notius enim est, quàm ut dici debeat, illa jura, quæ à Majestate dependent, non exerceri posse, nisi ab eo, cui illa inest. Itaque quæcunque denunciatio à Præfectis & aliis magistratibus intercedit, autoritatem & jussum superioris suspicit, & ut basi innititur, quo si destituatur, per se nunquam valida erit, nec subditi ad obsequium cogi possunt. Atque hoc adeò verum est, ut quamvis Præfecti Prætorio tanta autoritas & gratia erat, ut ab ejus sententia appellare non liceret *l. un. C. de Senten. Præf. Prætor;* ipsi tamen non concessum fuit Indicere, neque superindicere vel augere tributi præstationes. *l. un. C. de Superind.* Sed Princeps emisit delegationem, tum ea insinuebatur apud acta Præfecti Prætorio, deinde mittebatur Præsidibus, ut exigant. *Novell. 128.*

§. XV. Circa officium Principis duo hîc quæruntur. 1. An omni-

omninò teneatur Princeps Civibus suis causas impositi tributi communicare? 2. Si non tenetur, an id ſaltem ſemper utile ſit & conſultum? Quod prius attinet, negativam ultrò approbabimus. In mere enim civilibus, & de quibus naturæ, gentium vel divinum jus nihil manſuro decreto determinavit, perpetua regula eſſe debet, non poſſe ſubditum repugnare ordinationi Imperantis, quia imperium in perſonam adeò efficax & validum eſt, ut ad alterius arbitrium examinari recuſet. Omne obſequium in his debetur Principi, neque civis ullo modo poteſt ſuo diſſenſu ſuperioris actiones facere irritas: Idque neceſſarium eſt fateri, niſi omne Imperium fruſtraneum & precarium efficere velis. Nam ſi Princeps tenetur ſuarum actionum atque edictorum rationes reddere, omninò ſubditorum causâ hoc fieri neceſſe eſt, in quorum deinde lubitu poſitum erit, aſſenſu ſuo vel confirmare, vel diſſenſu rejicere. Hoc modo contra Imperiorum naturam ſuperior ſubjacebit inferiori, quoniam absque hujus nutu nihil firmiter ſtatuere valet. Ratio verò negati in Civilibus judicii eſt, quod ſubditus hic ſe merè paſſivè & inſtrumenti inſtar habeat, etiam tunc, quando in agendo concurrit. Quod unquam autem inſtrumentum ſuæ principalis cauſæ finem rimari debuit? Quare nec poterit expendere indolem præcepti, cum intentionem primarii agentis ignoret. Civiliter ſentiunt qui inter obſequii requiſita cœcitatem numerant. Quod perfecta obedientia duplici reſpectu cœca eſſe debeat. 1. ne vitia & imperfectiones Imperantis videat: 2. mandatorum rationes diu ſcrutetur, aut cauſas ſcire cupiat. Unde Gregorium dixiſſe ferunt, *neſcire judicare, quisquis perfectè didicit obedire.* Sunt quidem, qui tribus de cauſis ſubditos rectè negare tributa putant. *1. Si ſubditus probabiliter opinetur tributum in rem illicitam impendendum eſſe. 2. ſi dubitet de neceſſitate præſentis temporis. 3. ſi dubitet de legitimo titulo Principis.* Ambitioſa hæc ad ſeditionem effata ob manifeſtam impietatem prolixa reſponſione non dignabimur. Opinatio ſubditi non eſt fundamentum negandi tributi, quia in his civilibus nullam cognoſcendi facultatem habet. Nec judicabit temporum neceſſitates; quid enim, ſi opinaretur tributum nunquam fore neceſſarium? Amor ſanè retinendæ pecu-

niæ

triæ extinguet communis rei curam, aliosque satis necessitatibus occursuros sperabit. Princeps etiam illegitimus imperium habet: quo præsente necessarium subditus obsequium debet. Tributa fundantur non in justitia tituli, sed eminenti dominio, quod sub imperio comprehenditur. Addi debet disputatio elegans *apud Barcl. in Arg. l. 4.* Hyanisbes cum Poliarcho super hac re, ubi & alias objectiones invenies.

§. XVI. Tam rigidè de altera quæstione pronunciare non audemus, neque tamen semper utile erit, causas indicendi tributi cum subditis communicare. Celeritas plerumque negotii precarium subditorum assensum expectare non potest, & salutaris efficacia frequenter cum sua occasione intercideret. Evanescent omnia consilia, & hostis in civitatem perrumpet, priusquam convocata & edocta multitudo de necessitate temporis foret. In paulò majoribus regnis aliquot mensium labor est, donec omnium ordines congregari possint, multò diutius consultatur, interim rei benè gerendæ tempus effluit, & illa pestis subitò ingruit, quam paratis stipendiis potuisses profligare. *Tacitus de moribus Germ. illud esse ex libertate vitium ait, quod non simul nec jussi conveniunt, sed alter & tertius dies cunctatione coeuntium absumatur.* In universum statuendum est, gravissima mala & turbulentissimas confusiones afflicturas publicam rem, ubi omnium actuum ratio plebi sit reddenda *κρατεῖ γὰρ ἐπὶ πάντων ἀδιεξωρεῖων ὁ καιρὸς*, inquit Polybius, & *id est viri & ducis* Livio judice, *non deesse fortunæ prabenti se, sed oblata casu flectere ad consilium.* Ad hæc non subitò solùm, sed & secretò nonnunquam res agenda est. Solers vicinorum vigilantia molitiones tuas oppido sciet, si convocando subditorum ordines cogitationes exponis. Quid autem populo causæ adferes rogandi tributi, si tua consilia tegere volueris. Et fac assensurum sine scrupulosa finis inquisitione, annon ipsa conventus celebritas & concilii tumultuosa coactio æmulas mentes, quarum interest, te esse quietum, in suspiciones & sui curam eriget.

§. XVII. Fundamentum, quod justitiam tributorum tuetur, nobis sine hæsitatione *dominium eminens* est. Quod vocabulum, an à Grotio primum inventum sit, nunc non excutio.

Rem

Rem ipſam paulò accuratius conſiderabimus, & quem in hoc diſcurſu ſingularem uſum habet, oſtendemus. Incipiamus autem à definitione.

§. XIIX. Dominium eminens eſt *ſumma in Civitate poteſtas perfectè diſponendi de rebus privatorum.* Ex qua definitione clarum eſt, dominium eminens de natura & eſſentia veri dominii participare; nec *quamvis & communem ordinationem ſummæ poteſtatis animadverti, ſed exerceri actus veriſſimo dominio debitos*, ut inquit *Excell. Dn. Boecl. in diſquiſit. de Dom. Emin.* Quando enim in genere dominium eſt poteſtas perfectè diſponendi de re corporali, eminens autem perfectiſſimè diſponit, tutò concludimus, nequaquam illud ex dominiorum numero eſſe relegandum. Diſponit nimirum de rebus ſubditorum eo ipſo, quod ſinguli emendo, vendendo, donando partes ſuas agunt, quoniam præſcripſit modos diſponendi, quos ſi obſervant, valet actus, ſin minus, ipſo jure nihil egiſſe videntur. Non minus Princeps cenſetur litigantium cauſas dirimere & diſceptare, cum judices ad id dati ſententiam ferunt, quia illorum authoritas ab Imperante deſcendit, ut etiam per appellationem & alio modo non rarò revocetur. 2. Perfectè diſponit: i.e. jus prælationis habet, ut ex natura dominii in diſpoſitione & uſu rei omnibus ſubditis præferatur, quod exinde patet, quia diſpoſitio Privatorum nihil valet ſine illa, quam Princeps exercet, hæc verò illi omnem ſubſtantiam & vim largiatur, eandemque poſſit planè evertere. deinde exſerit ſe illa prior diſpoſitio in modis transferendi, acquirendi & amittendi dominii, quos majeſtas præſcribit, interdum planè novas formas & conditiones inducit, vel veteres ampliat, reſtringit, aliisque legibus includit. Non ſine injuria Fridericus Imperator peregrinantibus permiſiſſet ab alieno agro, qui juxta viam eſt, licet nullam habeant ſervitutem, tantum pabuli ſumere, quantum paſcendo equo opus eſt, niſi ſuperius diſponendi jus in hæc bona habuiſſet. *c. un. §. ult. 2. Feud. de Pac. tenend. & ej. viol.* Et mendaciſſima eſſet Reſp., quæ ſuæ rei cuilibet liberum arbitrium permittit, *l. 21. C. Mand.* prodigo deinde adminiſtrationem interdicit, niſi in uſu rei omni tempore prælationem haberet.

§. XIX. Haud me latet, offendere quosdam ipsum vocabulum, qui nullum planè dominium majestati competere contendunt, ne jam nimis ambitiosæ potestati fomitem [illegible]. Sed certè eorum rationes tanti non sunt, ut nos à sententia [illegible]te debeant; quam non modò ex antiquioribus plurimi, sed & [illegible]centiores ferè omnes, qui in civili prudentia acuratè philosophantur, amplexi sunt. Ante omnes verò videndus est *Ampliss. Dn. Boecl. in disquis. de Domin. Emin. & Doctissim. Johan. Freder. Hornius. in Part. Archit. de Civit. l. 2. c. 4.* qui adeo totius negotii naturam & certitudinem docuit, & respondit ad contraria argumenta, ut vix dubitatio amplius subesse possit Nam præter incommoda, quæ hanc doctrinam sequerentur, ferè aliud nihil afferri videas. Et tamen non satis est dicere: *ambitiosum esse vocabulum dominii, idq; si Principi tribuendum fuerit, verendum, ut in officio semper contineri possit ille quantumvis optimus & integerrimus, quod multa secum afferat ejusmodi fortuna, quæ à recto dimovere soleant. Ipsam vim Imperii propter salutem publicam instituti sufficientem Principi titulum præbere urgente necessitate utendi bonis suorum subditorum, eo quod omnia ea simul concessa intelligantur, sine quibus obtineri bonum commune non potest.* Equidem ipsum vocabulum *dominii* cur ambitiosius sit *imperio* hujusque non inveni. Quod si tamen hoc volunt contrariæ opinionis propugnatores, quasi dominium Principi largiatur potentiam subditum spoliandi bonis suis pro lubitu, id nullo modo concedendum est, quippe quod non rapacem aliquam invasionem, sed superiorem & sublimiorem vulgari potestatem denotat, quæ privata dominia moderetur & defendat, nec nisi ex civili ratione ad se trahat. Nunquam juris Antecessores proprietario in fundo, cujus ususfructus ad alium pertinet, dominium negavere, neque tamen ille usufructuarium pro arbitrio expellere potest. Et licet debitor rei, quam pignori dedit, verus dominus maneat, ipsi nihilominus non integrum est, quandocunque voluerit, creditorem spoliare securitate sua, cui creditum innititur. Quin potius si pignus fraudulenter ad se traxit contra creditoris voluntatem, furtum facit: neque Senior ex suo placito Vasallum feudo exuet. Verendum igitur non

est,

eſt, ut Imperans propter hoc vocabulum ſemper in officio contineri poſſit. Qui ſi velit ſubditos ſpoliare bonis, tam facili negotio imperii ſpecie quàm dominii id perpetrabit, quoniam ſemper neceſſitatem fingere poterit, & *nunquam deerit luſciniolæ ſua cantio*, nam *ſemper in Principe cupido auri immenſa obtentum habebit, quaſi ſubſidium regno paretur.* Quid vero & illud *Imperium*, quod Principi hanc actionem tribuit? Si generaliter majeſtatem intelligunt, veriſſimè quidem loqvuntur, ſed nondum genuinum atque proximum principium aperiunt. Particularis ille actus diſtinctus ab aliis à majeſtate procedit quidem, magis tamen dominicum fontem habet, qui deinde in majeſtatem reſolvitur; Qui enim totam civilem poteſtatem allegant, eos rogarem, qualis ſit illa, & quæ poteſtas, quæ propter imperium & majeſtatem Principi in ſingulorum bona conceditur? Parimodo omnia jura ſummæ poteſtatis à majeſtate deducerem, & relegato diſtincto ſingulorum conceptu in informe chaos confunderem. Alio ſenſu imperium ſe ad perſonas determinat, ſed hic applicatio deficit, cum ſatis bona ab hominibus diſtingvantur. Singularis enim illa majeſtatis facultas objectum ſuum deſerere & in aliud in congruum agere non poteſt, quod ſingula circa propriam ſibi rem verſentur, & poteſtas inferior non niſi ab analogâ ſuperiori ſuppendatur. Quippe hic de occupatione bonorum privatorum quærimus, quo jure poſſint prioribus poſſeſſoribus adimi & ad Remp. transferri, ideoque ut juſta ſit ablatio ante omnia oportet privatorum dominia deſtrui, quod ab imperio in perſonam fieri non poteſt, ſed poteſtas ejusdem generis intercedere debet. Majeſtas quidem id præſtat ſed per intermedium quoddam fundamentum, quod eſt illud dominium eminens. Cætera ſciens omitto, præcipue ablationem vineæ Nabotis, quæ nobis obſtare videtur, & propter peculiares circumſtantias defendi nequit, qua de re in conflictu ero reſponſurus, ſi diſſerendi occaſio ſit,

§. XX. Neque verò hoc argumentum in legali doctrina contemnendum uſum habet, ſed multis difficultatibus occurrit, quibus DD. non ſatis mederi videntur. Vulgaris eſt quæſtio de jure venandi. An quod ſubditis jure gentium licitum eſt, po-

fuerint Principes ad se trahere. Hic præterquam quod in vocabulo *juris gentium* æquivocus sensus lateat, (cum jus venandi non recte juris gentium dicitur, quasi semper apud omnes gentes ex prævio quodam ratiocinio ita constitutum sit, ut subditis indistinctim venandi studium competeret, nec sine læsione gentium his posset adimi) lis ex nostra disputatione de Principis dominio expedita est, quod cum ipsi in omnes res, quæ suæ ditioni adjacent, competat, in ipsius arbitrio positum erit, cujus velit possessionem privatis relinquere, & quæ sibi reservare: imò quæ semel largitus est, bono publico rursus adimere potest. Hoc modo plerumque intelligendæ sunt rationes, quæ communiter pro defendenda ista ademtione adferuntur, ut præter eam causam, quæ occasionis nomine venit, nihil includant, nec etiam conjunctim sufficiant sine propiori aliqua efficacia. *Wesenb. in Parat. ad tit. de A. R. D.* aliquas affert, quarum quædam etiam claudicant, nam 1. adhuc in dubio est, annon conducat subditos esse bene armatos? Certe ingeniosissimus Machiavellus & non pauci ex sapientibus hoc præcipuum momentum omnis Reip. laudant, peregrinamque militiam ceu infidam & inutilem condemnant. 2. Quibusdam in locis ista abundantia ferarum reperitur, ut metuenda non sit specierum extirpatio. 3. Romani, apud quos venatio concessa fuit, non minus agros domosve curavere. Denique non satis constat an juri gentium, ullo modo præscribi possit, quemadmodum nec in jus naturale præscriptio valet.

§. XXI. Qui in materia usucapionum versantur, varias rationes excogitant, ut juris naturalis effato satisfaciant, quod vetat quemque cum alterius jactura locupletari. *Dn. Ludw. tom. in not. ad Pr. Inst. de Usuc.* quam *Exercit. Just. Exercit. 6. §. 6. l. a.* bonum publicum prætendit. Sed ita confunditur impellens causa cum efficiente, nam si dicitur propter bonum publicum priori domino rem suam auferri, adhuc superest quæstio, quæ igitur sit illa potestas, quam bonum publicum instigat? Nam si ordo civilis per se hoc operari posset, non opus esset majestate, quod si verò ab hac ille dependeat, sine confusione motivum finis pro causa effectrice venditare non debemus. Itaque consultis-

fultisfimus Hahnius *in observ. ad Wesenb. de Usuc. n. 9.* hanc dubitationem politico & præsentaneo momento decidit. *Quamvis verò*, inquiens, *hæ rationes potius externæ quam internæ videantur, naturæ tamen jure in hoc conveniunt, quod summæ majestati sit potestas jure supereminentis dominii ob utilitatem quæ in publicam privatamq; rem inde redundat, istbæc legibus statuere, & uni rem auferre, alteri adjicere, cum per majestatem rerum domini constituantur.* Et paulo post. *Licet autem invito domino rem alienam non auferre, (contra quod facere videtur usucapio) sit juris naturalis, fieri tamen potest ut res, quæ aliena jam est, desinat esse talis, & fiat alterius propria, eodem jure naturali, quia Princeps hocce jure potestatem habet, ut dictum, subditos dominio suarum rerum privandi, illudq; transferendi in alios, quoties communi bono Reip. expedit.* Possem longe plura afferre, nisi ad alia me transivisse dudum oportuisset, & præter expectationem me tam nobilis res nimis diu in sui contemplatione continuisset. Nunc ad reliqua.

§. XXII. Compellens causa, quæ Principi hanc tributorum indictionem svadet, est salus Reip. Ingentes enim illæ & splendidæ impensæ, quas unaquæque civitas tam ad majestatem suam conservandam, quam in haud dubias utilitates profundit, unde resarciri possunt, nisi in quorum usum redundavere? Et quod in universum imperium sine hoc mutuo adjutorio florere aut diu durare potuit? Græcus ait orator. *δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἐστι γενέσθαι τῶν δεόντων.* & alius. *Νεῦρα τῆς ἡγεμονίας τὰ χρήματα εἶναι.* Quod bene Ulpianus intellexit *in l. 1. §. 20. ff. de Quæst.* quando dicit, *in tributis esse Reip. nervos nemini dubium esse.* Imperatores quoque Theodosius & Valentianus hanc necessitatem in Novellis suis, (*quas citat Rittersh. Coment. ad Novell. Part. 2. c. 1. n. 15. tit. 20.*) velut in compendium conjecere, ita loquentes. *Sine tributis nihil in pace aut bello curari posse.* Siquidem omnia munia publica, quibus communis res stat atque movetur, in duas quodammodo classes distribuuntur, ut quædam in pacis quietisque civilis felicitate exerceantur, alia bellicis motibus & classico clamore gaudeant, neutra sine tributorum, quæ ut Cicero scribit *ornamenta pacis sunt & subsidia*

ueat, collectione recte procedunt. Ad pacis opera verb. gr. referimus regales illos sumptus, qui ad sustentandam Principis familiam & aulicam magnificentiam requiruntur; Hos profectò non mediocri onere ærarium gravare illi sciunt, qui Regum palatiis innutriti annuas expensarum & necessitatum rationes colligunt atque ordinant. Deinde ut *omnis ratio & institutio vitæ adjumenta* hominum desiderat, sic præcipuè gubernatoria prudentia, (in qua certum est *Principem sua scientia non posse cuncta complecti, nec unius mentem esse tantæ molis capacem*) consiliariis & amicis opus habet, qui salutaria secretis turbidisque temporibus suggerant, & concreditam sibi Reip. fortunam strenua cura ac fortibus factis defendant. Illi autem quo dignius officium habent, quo majori emolumento civili societati præsunt, hoc pingviori salario demereri debent, in quorum arbitrio salus omnium certo modo consistit. Nam Cyro auctore apud *Xenoph.* *οὐ τόδε τὸ χρυσοῦν σκῆπτρον τὸ τὴν βασιλείαν διασῶζόν ἐστιν, ἀλλ' οἱ πολλοὶ φίλοι σκῆπτρον βασιλεῦσιν ἀληθέστατον καὶ ἀσφαλέστατον.* Atque hac in parte lubentissime Machiavellum audio, oportere Principem ministri sui, ut eum in bono officio contineat, non exiguam curam agere, *honorandolo, faccendolo riccho, obligandoselo, participandogli honori & carichi acciochè gli assai honori, & le assai ricchezze concesseli siano causa, che egli non desideri altri honori & altri ricchezze, & gli assai carichi gli faccino temere le mutationi cognoscendo non potere reggersi senza lui. c. 22. del Princ.* Nec minores opes refectiones urbium, murorum & aliorum locorum, quæ in privatorum manu non sunt, efflagitant. Item legationes, quas non solùm dissidii componendi, sed amicitiæ faciendæ vel confirmandæ aut variorum negotiorum causa quotidie mitti videmus, quo propius personam mittentis induunt, eo uberiori solennitate & divitiis instruuntur. Nunc etiam libens prætereo, quæ honestæ mentis remissioni & concessis voluptatibus addicuntur, veluti sunt spectacula, venationes & varia ludorum genera, quæ sollicitudinibus & laboribus exhaustum animum sua jucunditate reficiunt. Sed tamen hæc omnia utcunque tollerari possunt. At quam auri argentiq; copiam belli armorumq; strepitus velut deglutire constat, *conversa*

versa in usum militum omni pecunia, in credibile dictu est. Neque tamen hanc de militia curam Princeps ut indifferentem insuper habere debet, quin imo adeo necessaria ipsi est, ut sine ea vix Princeps. Quomodo enim te tuaque ab improborum hominum cupiditate aliter defendere poteris, qui nisi metu & difficultatibus arceantur, *nunquam deerunt raptores alienæ libertatis lupi*. Ergò patria, libertas, cives & ipsi Reges latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis. Quamobrem utcunque gravis Reip. publicæ militia incumbat, ferendum id erit, & ab omnibus in hanc rem contribuendum, quæ universis tutelam & vitam civilem præstare solet. Equidem vulgus hoc ægrè capit, *τὰς μὲν προσόδους (τῆς ἀρχῆς) ἑτοίμως ἐξεργαζόμενοι, τὰ δ' ἀναλώματα οὐκ ἔθ' ὁμοίως ἐκλογιζόμενοι.* Sed tu doce, & *da operam, ut omnes intelligant, si salvi esse velint, necessitati esse parendum*. Hoc Cicero Græcis respondet. *l. 1. Ad Quint. Fratr. Ep. 1. Simul illud*, inquiens, *Asia cogitet, nullam à se, neq; belli externi neq; domesticarum discordiarum calamitatem abfuturam fuisse, si hoc imperio non teneatur: Id autem Imperium cum retineri sine vectigalibus nullo modo possit, æquo animo parte aliqua suorum fructuum pacem sibi sempiternam redimat atq; otium.* Hoc Cerealis apud Tacitum *Hist. 4.* Gallis objicit. *Nos quanquam toties lacessiti jure victoriæ id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium sine armis, neq; arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt.* Alium usum pecunia in bello habet, ut corrumpi possint adversæ partis socii, quia juxta Aristotelem *πάντα ὤνια τῷ πλούτῳ.* Et Oraculum Philippo Macedoni suasit

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις.

Ubi obiter notamus, aliam esse quæstionem de jure, an tales sine peccato liceat corrumpere? Sanè antiquitas hanc rem semper ut egregiam & salutarem laudavit. Cicero *proprium hoc esse prudentiæ statuit conciliare sibi animos hominum, & ad usus suos adjungere.* Consulatur tamen *Grotius de J. B. l. 3. c. 4. §. 18.* Item legationes in bello, quæ hujus componendi vel induciarum faciendarum aut aliorum negotiorum causa intercedunt, huc referendæ sunt. Ultimo addo, multo consultius fore copiam rerum

ad

ad bellum necessar[illegible] [illegible] habere quam talia ingru-
ente [illegible]

§. [illegible] Instrumenta, quibus Princeps in exigendis tributis utitur, sunt ministri. Hac in parte ingens cura & industria requiritur, ut fideles nobis utilesque inveniamus. Nempe amplissima peccandi occasio, & dulcedo divitiarum ita plerosque transversos agit, ut nullæ leges, nulla supplicia reprimendis fraudibus sufficiant, quo minus miras per artes rursus oriantur, & tamen frenanda est turpissimorum hirudinum avaritia, *alias Actaeonem suum commedent isti canes.* Notari omninò debent quæ *Balsac* de rara Quæstorum fide aliquando scripsit. *C'est veritablement une chose estrange, que le grand Seigneur puisse fier ses femmes a la vigilance d'autruy, & estre asseuré, que leur chastete leurs sera conservé, & que les Roys ne Sçachent à qui donner la garde de leurs tresors. Mais sans mentir c' est qu'un hommede bien est d'autant plus difficil à trouver qu'un Eunuche, que les miracles sont plus rares, que les monstres. Il faut dela force pour estre homme, mais il ne faut que de la volonté pour estre avare, & les plus innocents ont des mains, & peuvent avoir des tentations.* Princeps itaque non nisi spectatissimo & integerrimo ærarii administrationem mandet, *nihil per libertos servosq; publicæ rei agat, sed optimum quemq; fidelissimum putet.* Quanta integritas hic requiratur, idem *Balſ.* alio loco exposuit. *Tout le monde à veu, que vous n'avez apporté al'administration des Finance que vostre pur esprit, c'est à dire ceste parti del'ame separéedela matiere & libre de passion, qui raisonne sans aimer ny desirer. Et que vous avez manié les richesses de l'estat aussi fidelement, qu'on doit gouverner les biens d'autruy avec autant de soin que vous conduisez le vostre propre, & autant de scrupule, qu'on que fait a toucher aux choses saints.* Deinde si spem & electionem fefellit occulta malitia, peculatus reos amoveat cum amissione omnium bonorum, quæ sibi ex detrimento publico comparavere. Illum Principem imitetur, sed caute, qui ministris pro spongiis uti dicebatur, quod quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes. Caute autem adjeci illud CAUTE. Quoniam non in madefaciendo, sed exprimendo exemplum do. Hoc est non rapacissi-

paciſſimum quemque ad ampliora officia promoveat, ut mox condemnet, ſed cum perſpectæ virtutis viſus judicium honeſtum fefellit, ut in hoc condemnetur, quod ex alienis bonis eſt factus locupletior.

§. XXIV. Objectum in quod agit jus Principis circa intributiones ex diviſione *§. 10.* poſita colligi datur, quæ ab objecto deſumpta eſt. Dum enim ibidem tributum vel capitis vel rerum dicitur, hoc ipſo innuitur, caput & res eſſe veluti ſcopum, quem attendant tales exactiones. Quod verò caput attinet, id plenius illic & in definitione declaratum eſt, non intelligi ſcilicet quodcunque, ſed ſubditum, & quod ſuperioris majeſtatem reſpiciat. Et quidem de perfectis illis ſubditis, qui ſecundum omnes poteſtates ſummi imperii paſſive ſe habent, & pleniſſimum obſequium (quo nomine non tantum obedientiam quoad imperata, ſed & in omnibus fidelitatem comprehendimus) debent, nulla eſt dubitatio, quoniam civili Majeſtatis ordinationi repugnare nullo modo poſſunt, ſed perſonam patientem ſuſtinent, quæ apta nata eſt, diſpoſitioni ſupremæ parere, & implere inſtrumenti conditionem, quo quilibet artifex ad quemcunque uſum licitum ſine reluctatione rectè utitur. Quod autem incolas concernit, an & hi in materiâ hâc ſubditis æquiparentur, & propriè tributa pendere dicantur, videamus? Id quidem ſupra affirmavimus, pleniori explanatione hûc relatâ. Incipiamus v[illegible] ad totum negotium facilitandum ab eorum deſcriptione, quam JCtus poſuit in *l. 239. §. 2. ff. de V. S. Incola eſt, qui aliqua regione domicilium ſuum contulit.* Græci hunc vocant *πάροικον* & *μέτοικον*. Genus quidem hic omiſſum videtur, nos ſubſtituemus vocabulum *ſubditi*, quod incola ſit *ſubditus*. Domicilium, cujus fit mentio non ſimpliciter & nudè accipiendum eſt pro qualicunque habitatione, nam ſola domus poſſeſſio in aliena civitate domicilium non facit, *l. 17. §. 13. ff. ad Munic.* ut nec incolam, *l. 4. C. de incol.* Sed potius cum civili quadam ſubjectionis efficacia, (ut in hac voce *domicilii* ſimul genus incolæ tacite includatur) pro loco, *ubi quis larem rerumq; ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, unde rurſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil avocet, l. 7. C. de incol.* Ex quo textu planum eſt, duo conjunctim requiri,

 ut

ut quis sit incola. 1. Animus, scilicet commorandi perpetuò in eo loco, ubi suum domicilium posuit; 2. ipsa actualis habitatio, in voce, CONSTITUIT, latens; Domicilium enim, ut hic accipitur, re & facto transfertur non nuda contestatione. *l. 20. junct. l. 27. §. 1. ff. ad Municip.* Atque tamdiu etiam putatur ibi domicilium habere, ubi semel animo commoratur, donec de migratione certo constet: *Unde cum profectus est, peregrinari videtur d. l. 7. C. de incol. & qui negotia sua non in colonia, sed in municipio semper agit, in illo vendit, emit, contrabit, eo in foro, balneo, spectaculis utitur, ibi festos dies celebrat, omnibus deniq; municipii commodis, nullis coloniarum fruitur, ibi magis habet domicilium, quam ubi colendi causa conversatur. d. l. 27. §. 2. ff. ad Munic.* Deinde in descriptione regionis fit mentio, ut exhauriat amplitudinem loci subjecti, nam non tantum hi, qui in oppido morantur, incolæ sunt, sed & qui alicujus oppidi finibus ita agrum habent, ut in eum se quasi in aliquam sedem recipiant. *d. l. 239. ff. d. V. S.*

§. XXV. Hæc pro instituto nostro explicatio satis ostendit, quam prope incola ad naturam & conditionem veri civis accedat, ita ut etiam larga appellatione civium contineatur. Et omninò quantum hoc nostrum argumentum attinet, vix rectè inter eos differentiam feceris. Nam quemadmodum is, qui Civitate donatus est, existimatur se obligasse ad omne id, quod leges & consuetudines statuunt atque introducunt. Sic & incola omni se civili ordini subjecisse credendus est, *per l. 29. ff. ad Munic.* ubi dicitur, *incolam & his Magistratibus parere debere, apud quos incola est; neque tantum municipali jurisdictioni in utroque municipio subjectum esse, verum etiam omnibus publicis muneribus fungi debere. add. ll. 1. 2. 3. 4. 5. 6. C. de incol.* Quid autem per vocem *muneris* intelligatur, explicat *l. 18. & l. 239. §. 2. ff. de V. S.* Sed an satis generalis nota detur, qua omnis incola ab omni cive in quacunque Rep. distingvi possit? haud immeritò dubitaveris. Et utique rem rectè considerantibus constabit essentiali & interna forma, (quæ in obsequio & fidelitate plenaria τῷ κυρίῳ Civitatis præstanda consistit, & non minùs Civis quam incolæ constitutionem necessario ingreditur) nihil differre, sed potius in externis circumstantiis quærendam esse discrepantiam, eamq; re

pro

pro varietate constitutionum & consuetudinum cujusque Reip. diversam. Applicatur hic optimè quod Aristoteles alio loco dicit, τὸν πολίτην ἕτερον ἀναγκαῖον εἶναι τὸν καθ' ἑκάστην πολιτείαν; *Civem oportere pro specie & diversitate Rerump., in quibus est Civis, alium atq; alium esse.* Pari ratione incola in quibusdam locis oneribus, in quibusdam honoribus, in quibusdam utrisque distinguitur. Hinc est illa communis distinctio, *incolas quidem naturaliter eodem modo subditos esse, licet non eodem modo sint Cives*, vel *æque civili imperio, non æque civili beneficio frui.* Apud Civitates enim aliquas incola honoribus caret, oneribus verò obligatur propter securitatem, quam ipsi illa societas præstat. Obligatur autem alicubi majoribus, alicubi minoribus oneribus, prout leges id vel usus definivere. Alibi & honorum particeps est, sed non nisi eorum, qui longissimè ab omni potestate absunt, idque fit plerunque in statu populari. Nonnunquam etiam majores dignitates potestatesque habet, quando scilicet in unius imperio Princeps *optimum quemque nobilissimum existimat, & in cujuscunque animo virtus inest, ei plurimum tribuit.* In *l. 7. C. de incol.* dicitur, *Cives originem vel manumissionem vel allectionem, vel adoptionem, incolas verò domicilium facere.* Sed hæc accommodata sunt ad Romanam Remp. Nos verò in generali termino sine certò habito respectu loquimur. Et utiq; consensus Majestatis, ut velit incolam recipere, necessarius est, nec rem solum domicilium & nuda voluntas incolæ expedit, cùm nemo cogatur alienum in suam Civitatem admittere. Ex definitione Civis & incolæ hæc difficultas deberet expediri, sed ut jam dixi, alius atque alius Civis est καθ' ἑκάστην πολιτείαν. Et si quis velit in universum Cives essentiali definitione delineare, obsequio & fidelitate id fieret, quæ non minus incolam obligant, ubi nihil certi est definitum. Restat igitur ut in externa forma aliquid tentemus. Sed quænam illa erit? Si rem acuratius expendo, aut vehementer fallor, aut omninò tamen in honoribus & oneribus illa consistit; nos conjunctim participationem jurium dicemus, quæ loquendi formula *onera quoque comprehendit, quæ utilitatis nomen & rationem induunt, quando ad societatis civilis sive consociationis finem referuntur.* Illa autem juris participatio in cive

plenior intelligenda est, in incola minus plenè, quia qui partim fruitur juribus Civitatis, partim obligatur, consumatus non est Civis, & differunt Civem & in Civitate esse. Id quod tamen non ita παχυλῶς intelligendum est, quasi in una Civitate omnia ad omnes necessario pertineant, nam Cives secundum magis & minus Civitatis suæ juribus gaudent juxta leges & consuetudines definientes unicuique sua jura, sed solummodo ut differentia juris Civitatis & incolatus inde constituatur, hoc modo, ut qui non omnibus illis juribus & circumstantiis fruitur, quæ in hac vel illa Rep. infimo etiam Civium ordini competunt, illum non esse perfectè consumatum Civem concludamus. Sed, ut jam dixi, ex cujusque Civitatis lege & forma singula Civium jura & onera dijudicanda sunt, siquidem quod in aliqua definita Rep. juris est, ἐν ταῖς ἄλλαις ἐνδέχεται μὲν, οὐ μὲν ἀναγκαῖον, ut inquit Aristoteles 3. Polit. 1.

§. XXVI. His pro necessitate disputatis nunc tandem ad quæstionem ab initio propositam redeo, an sc. incolæ rectè dicantur pendere tributa, & totam rem, hactenus excussam, in hoc compendium confero. Quoniam incolæ proximè ad veros subditos accedunt, sic, ut non tantùm domicilium in Civitate incolant, sed & plerisque commodis, puta securitate publica & illa sufficientia ad vitam degendam necessaria participes fiant, æquitati convenit, ut & necessariis oneribus, sine quibus nec Resp. nec ipsi absque illa salvi esse possunt, subjiciantur. Hinc & operas suas omnium bono impendunt, & munia civilia obire debent. Cur ergò nec in publicum contribuere? Imò conferunt pro modo facultatum suarum non secus ac alii Cives; Et si quis acurate loqui velit, certè non tam ratione obsequii, vel quod majore semper onere premantur, à perfectis civibus differunt, quam quod interdum careant illis honoribus, quibus iidem gaudent, præprimis in Rep. libera. Nam in unius imperio vix est, ut rectè eos discernere possis, quia utriq; pari modo nutus & arbitrium Principis suspiciunt.

§. XXVII. Alterum objectum sunt res subditorum. Paucissimis verbis me hinc expediam. Res sunt 1. vel mobiles vel immobiles. Utrisque tributum imponi potest. 2. sunt vel fertiles

vel

vel ſteriles, de his tenendum quod illi, qui habent fertilia prædia, cogantur etiam ſuſcipere ſterilia, ut compenſentur. *l. 4. C. de Cenſ. & Cenſ. l. 5. & 6. C. de Omn. agr. deſert. adde tamen Nov. 120. c. 9. Novell 128. verſ. non aliter autem ſuper indictum: ubi excep. Add. Habn. ad Weſenb. de Cenſ.* 3. Sunt vel corporales vel incorporales. An & res incorporales objectum tributorum eſſe poſſint, quæritur? Et ſanè ſua natura non ita comparatas eſſe, ut nulla de iis in tributio ſolvi debeat, patet ex *l. 4. §. 5. ff. de Cenſ.* ubi JCtus ait. *in ſervis deferendis obſervandum eſſe, ut & artificia ſpecialiter deferantur.* Artificium ſive ars eſt ſine dubio res quædam incorporalis. Ulterius in principio *d. l. 5.* dicitur venire in cenſum paſcua & ſylvas cæduas. Quid ergò, ſi quis ſervitutem paſtus ſive ſylvæ, item calcis coquendæ, aut arenæ fodiendæ habeat? Profectò æquitati non repugnat ob hanc utilitatem etiam Reip. onera cognoſcere, ne tota moles in dominum talis prædii aut ſylvæ &c. incumbat, qui minimum emolumentum inde recipit. *Vid. Coll. I. Arg. de Collect. §. 10.*

§. XXIIX. Materia ex qua ſunt bona ſubditorum, ex his enim ſolis, non verò etiam alienis tributum exigendum eſt. Nolumus autem nunc crambem bis coquere, cum in præced. §. de hac materia egimus. Attingenda verò hic fuit ob diverſum conſiderandi modum.

§. XXIX. Subjectum ſive in qua materia tributum conſiſtit, præcipuè eſt pecunia & aliæ res fungibiles, quæ mutuam functionem recipiunt, ut vinum, oleum, frumentum: Huc etiam referrem, aurum, argentum, æs, &c. Quia & in his mutua quædam æqualitas eſt, & certum habent taxandi modum. Itaque olim ſive ſolidos, ſive maſſam auri collatores inferre potuerunt, dummodo æqua lance & libramentis paribus appendebatur. *L. 1. C. de Ponderat. junct. l. un. C. de Argent. pret. quod Theſ. inf. & l. un. C. de Collat. ar. & l. 5. C. de Suſcept.* Poteſt tamen etiam in aliis corporibus tributum ſolvi, ut pecoribus, fructibus arborum, quæ res interdum ſub decimarum nomine venit. In immobilibus autem non rectè ſolvitur, quia hoc modo ſubditus poſſeſſionibus ſpoliaretur. Et generaliter, cujuscunque rei intuitu quis tributa ſolvit, hac tota non rectè ſolvitur, ſed potius pecunia pro illa,

vel fructus & aliæ accessiones, quæ inde obveniunt. Si tamen quis per longum tempus cesset in pensionibus, poterit ei talis res in solutum auferri. *l.1.C.de Cap.& distrab.& l.5.§.2.ff.de Cens.*

§. XXX. Forma est vel interna vel externa: Interna, quæ tributi generalem essentiam constituit, est, cum subditus aliquid majestati præstat privatæ possessionis nomine. Quodcunque enim hoc respectu intribuitur, continuo tributum dicimus. Et quamvis in tributo capitis potissimum persona attendatur, tamen necesse est, ut subditus etiam bona habeat, cum sine illis intribuere quicquam impossibile sit. Themistocles ad Andrios super pecunia legatus duos Deos secum habere Comites dixit, *πειθὼ καὶ βίαν*. Sed responsum tulit. Sibi quoque potentiores Deos esse *πενίαν καὶ ἀπορίαν*. Idem Romana plebs dicebat Patribus Conscriptis, *se, ut dent quod non habeant, nulla vi nullo imperio cogi posse. Liv.l.26.* Externa forma in alia atque alia Rep. diversa invenitur. Exempli gratia adduco Romanum morem, de quo videatur *Coll. J. Arg. lib.50.t.15.de Cens.* de tributo quidem capitis §.6. de tributo rerum §.7.& 8. nolumus enim sine causa prolixi esse.

§. XXXI. Finis est, ut potestates publicæ habeant, unde sumptum faciant ad bonos tuendos & coercendos malos. *Grot. de J.B.& P.l.1.c.2.§.7.* & nos præcepimus agere in causa impellente, quæ cum fine coincidit, ad finem enim obtinendum instigat.

§. XXXII. Effectus quidem varius est, præcipuus verò quod tributorum præstatio subjectionem arguat. *Augustinus super Epist. ad Rom. cit. in c. omnis anima. Extr. de Cens.* ait. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, & vos subditi esse debetis, ideò enim tributa præstatis, quia hac est probatio subjectionis.* Ratio ex dictis de Dominio Principis & obsequio subditorum obscura non est. Illud saltem monemus, ne interdum simulacro rerum decepti putemus illum tributa pendere, qui revera nihil minus quam hoc facit. Idque tunc usu venit, quando aliqua Resp. pro redimenda quiete & pace potentiori annuam certam pensionem solvit, nam is, qui pensionem accipit, plerumque de tributo gloriatur. At hæ pensiones omninò diversum quid habent, ut infra osten-

ostendemus, & exiguntur non dominii eminentis vigore, utpote quod in alienam Civitatem non valet, sed vi pacti, quoniam non satis potens Resp. à feroce & armato hoste suam securitatem quasi redimit. Turcarum Sultan semper jactat tributarium sibi esse Roman. Imperatorem, propterea quod pacem ea lege dixit, ut annuam pensionem pro fruenda Hungariæ parte FiscoTurcico inferat ut refert *Bod.* Sed hoc de majestate nostri Imperatoris nihil detrahit, quamvis certissimum signum sit infirmæ & inermis Reip., quæ cogitur ab alterius externi arbitrio & voluntate stare. Jam verò *li Principi debbono fuggire quanto possono lo stare à discretioni d' altri* inquit *Machiavell. del Princ. c. 21.*

§. XXXIII. Conspicitur & alius effectus in pœnis, quæ illis irrogantur, qui ob contumaciam, negligentiam, aut aliam culpam suo tempore & loco has intributiones non exsolvunt. Quæ supplicia pro lubitu & ordine Rerump: varia esse possunt, quæ in Romanis legibus sanciuntur, congessit *Coll. J. Arg. lib. 50. t. 15. &. 14. n. 5. & &. 15.*

§. XXXIV. Jam ordo postulat, ut affinia contemplemur, quæ non parum hactenus dicta illustrant.

§. XXXV. Vectigal quam cognationem cum tributo habeat, vel inde liquet, quod non rarò ita latissimè accipiatur, ut omne emolumentum & compendium ex quacunque causa Reip. obvenire solitum & sic etiam tributa includat. Festo vectigal est, *quod ob tributum & stipendium & extraordinarium populo debetur.* Sic locatio Salinarum à Rep. certò pretio publicanis facta, ut deinde singuli sal à conductoribus emere cogantur, (quod & antiquitus, *l. 17. §. 1. ff. de V. S. it. l. 13. ff. de Publ. l. 11. C. de vect. & Commiss.* & nunc in Gallia usitatum est, *testante latissimè Bodino de Rep. 6.*) it. metallorum, & picariarum, & cretifodinarum, vectigal dicitur. *d. l. 17. ff. de V. S. & d. l. 13 ff. de Publ.* Huc pertinet vectigal vicesimi fortunarum manumissorum, à C. Manlio in castris ad Sutrium lege lata introductum. *Liv. l. 2. c. 16.* it. vicesimæ hæreditatum, legatorum, donationumve mortis causâ & quadragesimæ litium, it. scripturæ & decumarum. (Scripturæ quæ ex pascuis, decumarum quæ ex frumento, vino, oleo, frugibus exigebantur.) Regna quoque, Principatus & agri publici dicuntur vectiga-

ctigales, qui aliquod tributum solvunt, aut publicè locati sunt. *Vid. Calvis. Lex. voc. vectigales agri.* Verùm propriè vectigalia, Græcis τέλη, sunt portoria, *quæ in itinere præstantur. vid. l. 21. ff. de de donat. inter vir. & uxor. & consistunt in certo pretio, quod à transeuntibus solvitur, præsertim pro evehendis, invehendis aut distrahendis mercibus.* Ut centesima aut quinquagesima rerum venalium *Cujac. 7. observ. 4.* Sic Turcarum Imperator ab exteris portu suo solventibus rerum exportandarum decimas, à suis vicesimas capit. *Bodin. de Rep. 6.* Ordinariè quidem mercibus imponitur, & exigitur à mercatoribus, qui commerciis suis quæstum quærunt. Potest tamen & personæ imperari, quamvis modicum esse debeat, & plerunque ab extraneis peti, quando regionem nostram appellant: non quod non etiam à Civibus majestati tantundem accipere fas sit, sed quod extra necessitatis casum non satis prudenter exigatur, imprimis ubi transeundo nihil incommodi aut damni datur. Nam ubi per pontem aliamque molem publicam iter est, minùs molestum subdito erit æquiparari peregrino in vectigali, cum præter dominium in locum, cujus virtute imponitur omne vectigal, impensarum & sumptuum sæpè ingentium ratio accedat. Notum est, Argentorati neminem, qui per pontem Rhenanum ire vult, ne ipsos Magistratus quidem à vectigali immunes esse. Si vellem prolixè agere, possem multa de augendis vel minuendis vectigalibus disserere; it. de commissis eorum. Sed lectorem ad alios mitto, qui hanc materiam ceu præcipuum scopum tractarunt, ad me non nisi incidenter spectat. Tribus, quod ajunt, verbis hoc moneo, Principem vel Remp. publicanorum non exiguam curam habere debere, quia hoc hominum genus exactissimis inquisitionibus & severissimis pœnis vix in officio continebitur, & omnibus seculis sceleratissimam & fraudulentam vitam egisse existimatum est, ita ut apud Judæos miraculo esset, bonum virum in illorum consortio deprehendi. Livio Publicanus dicitur *omnibus malis artibus & Reip. & societatibus infidus damnosusq. l. 25. c. 1. & seq. c. 3. Publicanus erat Postumus, qui multis annis parem fraude avaritiaq; neminem in Civitate habuerat,* ubi & callidissimus ejus dolus in defraudenda Rep. describitur. Cum Macedonia de victo Perseo rege in Provinciam

redige-

redigebatur, licet infinita emolumenta ex metallo Macedonico locationibusque prædiorum rusticorum Resp. Romana singulis annis percipere posset, tamen hæc omnia *tolli placebat*. Quæso qua de causa? & quod ingens impedimentum movit victores ut suas utilitates despicerent? Quia *neq; sine publicano exerceri poterant, & ubi publicanus est, ibi aut jus publicum vanum, aut libertatem sociis nullam esse. Liv. 45. c. 18.*

§. XXXVI. Sequitur illa collatio, quæ societatis jure à confœderatis confertur. Sæpè diversarum Civitatum socii tam arcto & amico fœdere per pactum se colligavere, ut perfunctoria diligentia non animadvertas, unius an plurium Rerump. Cives dicendi sint. Plerumque contingit quando noviter à crudeli alterius tyrannide vel supina negligentia in libertatem evasere, timorque, ne rursus armata vi in ordinem cogantur, & suppliciorum conscientia illos ita constipat, ut quidvis potiùs pati quam priùs jugum subire certissima obfirmatione sanciant. Ideoque & corpora lubentissimè militiæ mancipant, & omnia, quæ conservandæ libertati prodesse possunt, in medium conferunt. Quandoquidem autem tuenda libertas præcipuum in armis præsidium habet, hæc verò sine pecunia nunquam conquatiuntur, idcircò huic fini omnes suas facultates destinant, in quo obtinendo tota rerum summa consistit. Quod si felix fortuna aspiraverit, ut profligato hoste nullum ampliùs præsentaneum periculum quidem adsit, attamen nunquam de futuros sciant alienæ libertatis raptores lupos, communi consensu statuunt, quo magis semper ad quoscunque casus parati sint in necessitatibus salubriter excogitata per quiem civilem continuare. Hinc certam quotannis summam sociali ærario inferunt, & ex omnium suffragiis Præfectum faciunt, cui rationes universi constare necesse sit. Hic est ut plurimùm origo harum contributionum, quæ tamen nullam subjectionem arguunt, sed ex pacto liberrime conferuntur, nulla vi coactiva, cum nemo invitus in societate maneat.

§. XXXVII. Sunt & aliæ pensiones, quæ quidem ex fœdere & pacto debentur, diversum tamen quid habent ab his, quas jam memoravimus. Considerantur autem duplici modo.

D Nam-

Namque vel inferior Resp. quæ potentioris Majestatem comiter suspicit, tutelam atque clientelam suam certò annuo tributo (vocabulo latè accepto) emit; quod evenire solet, cum vicini Principis insolentiam & ambitionem formidat, aut bello victa pacem & libertatem hac conditione recipit. Neque ejusmodi intributiones statim etiam subjectos faciunt, cum vi pacti exigantur, nulla civili potestate. Totum negotium inæquale fœdus appellatur, de quo etiam quædam in §. 32. diximus. Vel annua pensio à sociis Civitatibus licet potentia non inferioribus ex fœdere accipitur, ut si bellum ab hostibus inferatur, militem imperare liceat: Ita Reges Galliæ Helvetiorum & Rhætorum Civitatibus pensionem annuam mille aureorum dependere consueverunt, ea lege, ut iis exercitum imperare & auxiliaribus copiis ad imperii tutelam uti liceat, prætorianosque milites ad corporis custodiam conscribere. Nam stipendiarius aut tributarius non est, qui alienas copias certa mercede locat, nisi omnem imperatorem exercitui suo velis facere stipendiarium, quod militibus menstrua stipendia exsolvit.

§. XXXVIII. Contrariatur tributo *immunitas, quæ est exemtio sive vacatio ab præstationibus tributariis certo privilegio indultu.* Non absque singulari prudentia in Romano imperio provisum erat, ne promiscue jura immunitatum singulis paterent. *l. 8. C. de Exact. Tribut. l. 6. §. 4. & l. ult. §. 29. ff. de Muner.* simulque crudelissima pœna in illos animadvertibatur, qui falso sibi vacationem fabricarent. *l. un. C. de immun. nem. conced.* Quia enim nervus & veluti spiritus Reip. in intributionibus quodammodo consistit, sine quibus illa civilis machina nunquam rectè procedet, ideoque Reip. interest, ne perniciosis privilegiis necessitas tributoriæ functionis impediretur. Subest tamen & aliud periculum, quando illi, quibus immunitas concessa est, beneficia ad jus trahunt, & quæ ex liberalitate semel obtinuerunt, per vim contra donatoris voluntatem retinere cupiunt. Neque iis quidem hoc difficile est, cum publico auro, publicisque stipendiis, acies, quas contra Remp. educunt, conscribant & alant. Ut non immeritò quidam privilegia Zizaniam seditionum dixerit. Illa enim facilitas, illa indulgen-

diligentia & incauta in magnates profusio prodit præcipuas imperii vires, aperitque injuriis despectam dignitatem. Veluti ex oraculo Aristotelis verba accipio, *κοινὴ φυλακὴ πάσης μοναρχίας εἶναι τὸ μηδένα ποιεῖν ἕνα μέγαν. communem esse Principatus tutelam, neminem privatum facere nimis potentem.* Quomodo autem potentiorem aliquem feceris, quam id relinquendo, quo sibi omnem potentiam comparare potest. Quod si tamen aliquid in cladem publicam concessum sit, illud non uno velut ictu adimendum, sed sensim, & vix sentiente illo, de cujus corio luditur, decerpendum est. *δεῖ γὰρ ἐκ προσαγωγῆς, inquit idem Aristot. τοῦτο δρᾶν, καὶ μὴ πᾶσαν ἀθρόον ἀφαιρεῖσθαι τὴν ἐξουσίαν. oportet hoc paulatim agere, & non simul omnem potestatem auferre.* Varii quidem hic prætextus intercedere possunt, præcipuus autem est bellica necessitas, quando Princeps fingit, ob temporum gravitatem & commune emolumentum privilegiorum rationem, haberi non posse, deinde quod semel invito extorsit, sub varia specie constanter retineat, donec injuriam oblivio extingvat. Nec verendum est tam pium propositum Deos hominesque non approbaturum, quia ipsis illis, quibus cum sic agitur, non mediocriter consultum est, omnem peccandi & superbiendi occasionem præcisam esse, nec contumaciam graviora supplicia provare posse, utcunque velit.

§. XXXIX. De immunitatibus, quæ Romanæ leges concedunt *vid. Coll. J. A. lib. 50. t. 15. §. 5, 6, & 7.*

§. L. Consultissimus Dominus *Hahnius ad Wesenb. Parat. tit. de jure immunit.* quatuor modis immunitatem acquiri statuit. *1. privilegio. 2. pacto. 3. Consuetudine. 4. Præscriptione.* Priores tres jam non attingam. De ultimo dubitari potest, an cuidam juri Majestatis contra voluntatem Principis præscribatur. Pro negativa astruendâ tam civiles leges quam rationes stant. Expressus est textus *in l. Comperit. 6. C. de Præscript. 30. Ann.* ubi legimus, *huic parti CUJUSQUE temporis præscriptionem non admitti.* Si cujusque temporis, ergò nec immemoralis. Quia textus est satis generalis. jung. *l. 2. ff. de Via Publ. & itin. Publ. §. res fisci J. de usuc.* Civiles rationes hæ sunt I. Quod majestas Principis in mutuo hominum commercio non est, ut-

 pote

pote quæ commercia & contractus omnes suorum Civium præscribat & moderetur. Usucapio verò præsupponat res habiles ad præscribendum. Et quamvis in immemoriali præscriptione fortasse adeo bona fides necessaria non sit, in omni tamen adesse oportet tempus lege definitum. Quæ autem lex illud unquam circumscripsit. Principes suorum jurium tam prodigi non sunt ut publico diplomate illa privatorum arbitrio subjiciant, nemo verò præter Principem legem ferre potest, quia lex est effectus majestatis, hæc illi soli competat. Jus gentium hac de re tacet, neque etiam cordibus nostris perpetuam usucapionum observantiam jus naturale inscripsit. Deus constitutione divina tale quid potuisset inducere, sed nulla in sacris literis hactenus formula adducta est, definiens tempus tantæ efficaciæ. Præterea effectus usucapionis hic deficit. Id operatur usucapio, ut præscribens in rem verum & plenum dominium habeat; At jam supra diximus, jura summæ potestatis in dominio & commercio non esse, imo rem acuratè perpendentibus apparebit dominia sub majestate latere; Item finis est absurdus, quoniam non est verendum ut dominia in incerto sint, quando de dominio præscribendo non agitur. Et quod maximè urget, est, quod usucapio sit jure Civili introducta, hoc est, excogitata à summis potestatibus ad decidendas & impediendas litigantium improbitates. Nunquam effectus tantarum virium deprehensus est, ut in ipsam causam effectricem valeat. quomodo ergò, quod majestas subditorum bono introduxit, ab illis in ipsam retorqueri potest? Utcunque igitur aliquis per tantū tempus, cujus memoria non extat, immunitatem à tributis habuisse probaret, is secum iniquè agi non existimet, si jam fiat ærarius. Si enim Princeps, id quod supra posuimus, privilegio certo concessa rursus certis ex causis adimere potest, cur non idem repetet, quod negligentia & oscitantia suorum antecessorum non exercuit? cum is, quo cum ita agitur, in lucro ponere debeat, tam longo tempore vacationem habuisse.

FINIT PARS PRIOR.

DISSER-

DISSERTATIONIS PARS POSTERIOR.

De CENSIBUS.

ET hæc quidem de tributis. Nunc etiam de Censibus dicere sed multo concisius incipiam,

§. I. Census à censendo dicitur, quod vocabulum varia significat. 1. jubere, constituere, præcipere *l. 111. ff. de V. S.* 2. deliberare, judicare, sententiam suam dicere. Unde est illa formula apud latinos. *Senatus censuit, populus decrevit.* 3. Recensere, numerare, ac pro numero & recensione in certam classem atque ordinem redigere. Exinde censum & ab hoc censores dictos esse valdè probabile est. *vid. l. 2. §. 17. ff. de O. J.* 4. Æstimare, quod ad bona & possessiones cujusque trahitur, ut pro æstimatione singulorum onera Reip. agnoscant.

§. II. Census accipitur. 1. Pro facultatibus privati cujusque Patrimonii. *l. 16. pr. ff. ad SCt. Trebell. l. 27. C. de Episc. aud.* Hoc sensu Naso cecinit.

Curia pauperibus clausa est dat census honores.

Et Livius scribit, Titum Quintum cum devicto Macedoniæ Rege Philippo Thessalos ex omni colluvione & confusione in aliquam tollerabilem formam redigere vellet, *à censu maximè & Senatum & judices legisse?* 2. Pro præstatione tributi sive annua pensitatione, ut supra diximus. 3. Hoc loco sumimus pro æstimatione sive descriptione rerum personarumque. Sic sumitur *in l. 2. §. 17. ff. de O. J.* à qua significatione deinde illa propinqua fluxit, ut census significet tabulam, in qua Romani scribebant suas facultates & reditus.

§. III. Adgnatum vocabulum est. 1. *Censitus*, h. est censibus adscriptus, à quo census exigitur. Vid. Gothofr. *in Rub. C. de Agr. & Cens.* 2. *Censitor. in l. 4. §. 1. ff. de Cens.* est, qui censum agit, & percipit præstationes tributorum, pignorisque jure vendit prædium. *Calvis. In Rubr. C. de Cens. & Censit.*

Censitor videtur accipi de censuum impositore. *arg. l. 1. C. d. t. Calvis.* 3. Censor. dictus a censendo; Ortum enim censorum initum apud Romanos est, quod in populo per multos annos in censo neque differri census poterat, neque consulibus cum tot populorum bella imminerent, operæ erat id negotium agere. Itaque populus Papyrium Semproniumque censui agendo suffragiis præfecit, censoresque à re, i. e. censu agendo appellati sunt. In *l. 111. ff. de V. S.* Censores dicuntur à censere, quatenus hoc verbum significat *constituere, præcipere* intellige circa mores & vitam civium, quam examinant, & si à virtutis rectique tramite declinaverit, in justum ordinem cogunt. *Lips. 4. Pol. 11.* Prior tamen derivatio magis genuina esse videtur, quoniam agendus census non correctio morum primariæ censorum creationi occasionem dedit. *Bod. de Rep. l. 6. c. 1. pag. mih. 971.* Officia eorum pleraque complexus est *Cicero. 3. de LL. 7.* qui videatur, & notetur ibidem censum agendum primo loco ceu præcipuum munus poni. *add. eund. l. 2. in Verrem. c. 131. & pro A. Cluent. c. 129.* 4. *Censura* est censoris munus & dignitas. 5. *Censuales* sunt Tabelliones & scribæ, qui censuale ministerium atque curam accommodant censui agendo in urbe, & acta senatus conficiunt. *l. 2. & 4. C. de Princip. ag. in reb. & Rubr. C. de Tabell. Scrib. &c.* 6. *Censuarius* in *l. 7. C. de bon. Prosc.* dicitur, qui censum pendere cogitur.

§. IV. Census apud Græcos dicitur *τίμημα*: apud Latinos æquipollet *Censitio*.

§. V. Censum crassè sic definimus, *quod sit descriptio publica capitum & rerum, in utilitatem Reip., imprimis verò civium noscendorum & tributi conferendi gratia facta.*

§. VI. Dividitur in eum qui est capitis, & qui rerum. De utroque suprà dictum est.

§. VII. Quando census in definitione dicitur descriptio publica, innuitur causa efficiens, quoniam nemo privatus sine publica concessione & delegatione opes viresque Reip. censere & describere debet. Princeps solus, majestatis, quam habet, vigore, cives cogit, ut quisque nomen facultatesque suas profiteatur, & in contumaces severam pœnam pro modo delicti constituit.

§. IIX.

§. IIX. Causa instrumentalis sunt censores & censuales,&c. qui populi civitates suboles, familias, pecuniasque censent. *Cicer. vid. supr. in affin.* Hos creandi judicium & jus est apud Majestatem, & nemo præter illam hic quicquam tendare audebit. Quoniam autem res odii suspicionisque plena, poterit Princeps benigno temperamento permittere, ut ipse populus designet, quem maximæ fidei & integritatis æstimet, quemque velit suarum fortunarum & possessionum arbitrium concedere. Quanquam hic cautela opus, ita ut semper Principis superior dispositio appareat, nec subditi in privilegium & potestatem interpretentur, quæ non nisi ex liberali animi indole habent. Quid ergò si interdum Imperans à populo electum rejiciat, & tamen rursus alium eligendi potestatem populo faciat, ut magis personam recusavisse, quam se quemquam elegisse videatur? Sanè his imaginibus plebs delusa rem ipsam sæpe negligit, quia apud illam verba maximam habent speciem: & *τὸν μὲν λύκον ὥ φασι τῶν ὤτων κρατεῖν. δῆμον δὲ πάλιν ἐκ τῶν ὤτων ἄγειν δεῖ μάλιστα. Plutarch. vide Servii Rom. Regis callidum institutum in plebe deludenda quoad suffragia. ap. Liv. l.1.*

§. IX. Objectum sunt capita & res, de quibus in definitione & priori parte hujus discursus. Pleraque enim ibidem dicta huc etiam pertinent, quoniam census in censendo, tributum in præstando unam eandemque rem consistit.

§. X. Forma censualis communis ex objecto & fine desumpta est, specialis verò & accommodata ad Rom. Remp. habetur in *l. 4. ff. de Cens. Add. Coll. J. Arg. tit. de Cens.* §. 3. & *Dn. Habn. ad Wesenb. tit. eod.*

§. XI. Finis est Reip. utilitas. Census enim res saluberrima magno futuro imperio Livio dicitur. *l.1.* Et ante illum Plato censuit deberi *τιμᾶσθαι μὲν ἕκαστον τὴν οὐσίαν ἕνεκα πολλῶν χρειῶν. unumquemque censeri secundum opes suas variæ utilitatis causa.* Sanè hoc est ad multa utile. Primò enim Civium ætas ex illa descriptione percipitur, & eo ipso lites innumerabiles expediuntur. 2. Quæstiones de statu cujusque, civis sit, an peregrinus, spurius an legitimus, nobilis an plebejus,

quæ

quæ ſtemmata, quod cujusque nomen proprium, vix aliter quam cenſus beneficio deciduntur. 3. Ordo & conditio ſubditorum inde colligitur, quod ad inſtituenda civium collegia, ad habenda comitia, ad legenda ſuffragia, ad claſſes & tribus diſtribuendas apprimè neceſſarium eſt. 4. ex cenſu cujusque vitæ & inſtituti genus patet, improbique & flagitioſi à bonis viris diſtingvuntur. 5. Ex his omnibus ritè ſe habentibus ſurgit illud amplisſimum emolumentum, ut ætas conditio & numerus militaris ſine operoſo calculo explicetur, & conſtet, quibus viribus Reſp. deffendi poſſit. 6. Ut exæquari tributa poſſint, remedium à cenſu petendum eſt; 7. Ita fraudibus peræquatorum occurritur, & 8. Vetus urbibus fœnebre malum cenſus ſanat fugatque, & ſemper Romanos legimus fœneratorum iniquitate preſſos hanc medelam adhibuiſſe. Hinc eſt illa plebis apud Liv. queremonia, *fugere Senatum teſtes, tabulas, cenſus cujusq; quia nolit conſpici ſummam æris alieni, quæ indicatura ſit demerſam partem à parte civitatis.*

§.XII. Contrarium eſt immunitas, de qua ſuprà egimus. Addi hic poteſt Cujac. *10. Obſerv. 35.* ubi de colonis, (de quibus fit mentio *in l. 1. ff. de Cenſ.*) jure italico & immunitatis tractat.

Atque ita cum bono Deo abſolvi, quæ præcipuè ad hujus argumenti indolem pertinere mihi viſa ſunt. Equidem non nego, plura adhuc deſiderari, quæ limatius potuiſſent enucleari, niſi alia impedimenta conatum prohibuiſſent. Imprimis mecum conſtituebam ſecundum ductum prudentisſimi Lipſii quædam de tributorum exactione ſapienter inſtituenda differere, item cenſuum natura & antiquitatum monumenta pleniorem ſtylum requirebant; Sed tempus & ſumptuum ratio hic gradum ſiſtere impulit. Tibi, B.L. me ſummitto, tuumque judicium rectà ſubeo, poſtquam de tuo animi candore mihi conſtiterit. Judica igitur, & ſi quædam lectu digna inveneris, mihi de felici ſucceſſu gratulor. Sin ſecus, juvenilibus erroribus veniam comiter concede. Quod ſi tibi dubia nonnulla occurrent, illa humanitatis tuæ dexteritate in benignam partem interpretare, & æternum mihi vale. Deo T.O.M. pro donata ſua gratia & conceſſis viribus ſit laus honorq; in infinita ſecula.

F I N I S.